



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Christianis à Saraceno Christi exemplum propositum; cuius calice  
consideratio, omne nobis absynthium dulcescit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

libus iudicibus tale iudicium tulit summus iudex. Dic tu: Domino meo hæc acciderunt. & ego me illo putabo meliorem? *Non faciam hanc rem?* At homines, qui me antè suspexerant, iam contemnunt & rident? Contigit & hoc Christo, quem tantorum miraculorum patratorem, inter iniquos, deputauerunt, atque, in medio latronum, cruci affixerunt. Seruatorem imitantur, non qui risum cachinnis compensant; sed qui nôrunt tacere, dum in cælum clamant iniuriæ, quas patiuntur.

## XIII.

Io. Ionuius  
in vita S. Lu  
dou. regis  
Franci. c. 42.

Scribit Io. Ionuius, Principem Saracenum, belli sacri tempore, ad proceres Francos, in Ægypto, captiuos, salutatum accessisse, atque ex illis interrogasse, *Num in vnum Deum crederent, qui ex Virgine natus, in cruce affixus mortuusq; esset, dieq; tertio, se in vitam reuocasset?* Quibus, ita se credere, affirmantibus, addidit: *Est neq; fracto animo, neq; moestus esse debere, si tantulam calamitatem subirent, eius nomine, qui extrema supplicia, pro ipsis exantlasset; eosq; nondum ad mortem usq; pro eo, decertasse: qui si tanta fuerit potestatis, ut triumphata morte, se ipse à sepulchro excitaret, certo in animum inducere oportere, fore, ut etiam ipsos breui calamitatibus illis eximeret.* Iocosa, an seria fuerit illa consolatio, non habeo dicere; veram fuisse probauit secuta procerum libertas. Et planè vera est hæc

Exod. 15. 23.

consolatio, iam dudum adumbrata, quando, Israëlitis, in deserto, ad bibendum, nihil aliud, quàm amarissimas habentibus aquas, Deus Moyfi lignum ostendit, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. *Per lignum, aquas dulces fecit, præfigurans gloriam & gratiam crucis,* ait S. Augustinus. *Poterat Deus,* inquit

S. Augustin.  
quæst. 53. in  
Exod.  
S. Gregorius  
Nyssen. lib.  
de vita Moy  
fis.

S. Gregorius Nyssenus, *solo verbo aquam potabilem facere, sed per lignum id voluit prestare, ut typum salutiferæ crucis indicaret.* Itaq; lignum crucis rerum tristium amaritiam in dulcedinem nobis vertit, quando perpendimus, exiguum nobis scyphum propinari de eo & absynthio, & aceto & felle, cuius tota maria exhausti Christi:

Matt. 20. 22.  
S Chrysoft.  
homil. 66. in  
Matth.

stus: qui non sine caussa dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Addidit autem, *quem ego bibiturus sum, Vt communicatione laborum, cum Christo, promtiores redderemur,* ait os illud aureum. Quòd si Christum oportuit sic pati, & ita intrare in gloriam suam, nonne oportet etiam seruos illius, eadem viâ sequi? An, Domino felle saturato, mancipia eius mulsam exigent? At Dulcia

Act. 14. 22.

*non meruit, qui non gustauit amara: & sicut Paulus & Barnabbas prædicauerunt: per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnū Dei.*

Atque